



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Litterae A. Comitis De Dasburg & Metensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

Augustorum Aquigrani coronationis ac consecrationis plenitudinem per manum Domini Coloniensis Archiepiscopi, cujus hoc interest, cum omni qua decuit solemnitate meruit obtinere. Nos igitur dicti Regis electionem quandoquidem justè factam esse non dubitamus, ratam habentes, terras nostras, quas de imperio tenemus, à manu sua recipientes, factò hominìo illi fidelitatem juravimus. Sanctitati ergo vestræ, Pater Reverende, omni qua possumus affectione supplicamus quatenus rationabilem ipsius electionem, coronationem, ac consecrationem ratam habere volentes, eam confirmare atque ipsum Regem ad imperij consecrationem vocare paterna pietate dignemini, ut ad obsequium vestrum & Ecclesiæ Romanæ in perpetuum amplius invicemur & archius obligemur.

**LITTERÆ A. COMITIS DE  
Dassburg & Metensis.**

Epist. 8.

Sacrosanctissimo Domino & Patri sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, & venerabilibus Dominis universis Cardinalibus, A. Comes de Dassburg & Metensis, debitam reverentiam, & paratum in omnibus obsequium. Cùm fuisset rebus humanis Henricus Imperator exemptus, nos & alij Principes Dominum Ottonem quondam Henrici Ducis Saxonie filium in Regem Romanorum elegimus, & ipsum ea qua decuit solemnitate per Dominum Adolphum Coloniensem Archiepiscopum apud Aquigranum consecratum in sede regia, sicut à Karolo constitutum erat, locavimus. Rogamus ergo sanctitatem vestram ut habita consideratione ad miserias & oppressiones quas per novissimos Imperatores Fridericum & Henricum filium ejus sustinimus, electionem Domini nostri Regis Ottonis confirmare & ad imperialis consecrationem vocare dignemini, & partem adversam à fidelitate quam Duci Sueviæ fecerunt abolvatis, & per censuram ecclesiasticam nostræ electioni consentire compellatis.

**LITTERÆ COLONIENSIS  
Archiepiscopi.**

Epist. 9.

Sacrosanctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Adolphus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ minister humilis, devotum obsequium & orationes in Domino. Post obitum Henrici Imperatoris nos unà cum aliis Principibus de substituendo Rege sæpius tractantes quod sanctæ Romanæ Ecclesiæ expediret subditisque imperij, qualiter quoque priorum Imperatorum oppressiones evitare possemus sollicitè deliberavimus. Pretendimus igitur animos nostros ad diversos imperij Principes, & sicut Domino placuit, serenissimum Dominum Ottonem Henrici Ducis Saxonie filium in Romanorum Regem rationabiliter elegimus. Postmodum verò in Augustorum sede Aquigrani locavimus, & sicut debuimus, ea qua decuit solemnitate consecravimus ac coronavimus. Ipse verò Dominus Rex in timore Dei & reverentia sanctæ Ecclesiæ omnia jura Romanæ Ecclesiæ aliarumque Ecclesiarum bona fide conservare & manuteneat juravit. Nobis etiam aliisque Episcopis pravam illam consuetudinem aliorum Imperatorum, qui decedentibus Episcopis & Abbatibus Principibus in mobilibus rebus seque moventibus succedebant, liberaliter remisit. Paternitatem igitur vestram ardentè rogamus quatenus rationabile factum nostrum aliorumque Principum qui de jure eligere debent attendentes, merita quoque Domini nostri Regis, patris ac fratris sui palatini, Regis quoque Angliæ avunculi sui, qui à servitio & unitate Ecclesiæ nunquam separati fuerunt, considerantes, quoque injurias Ducis Sueviæ, patris ac fratris ejus, non dissimulantes, magnos & honorabiles viros quos ipse ac Principes de communi consilio ad pedes sanctitatis vestræ transmittunt benignè recipiatis ac benignius remittatis, & rationabilem ipsius electionem, consecrationem, ac coronationem confirmetis, & ad imperij consecrationem vocetis, nostros quoque adversarios & Ecclesiæ à fidelitate Duci Sueviæ præstita abolvatis & nostro Regi obedire ecclesiastica censura compellatis. Nos etiam pro patrimonio Ecclesiæ Romanæ dimittendo ac conservando pro ipso Domino Rege spondemus atque fidejubemus.

**LITTERÆ PRINCIPVM AC  
Baronum Alamannie Clericorum & laicorum.**

Epist. 10.

Sacrosanctissimo Patri ac Domino Innocentio sacrosanctæ Romanæ sedis summo Pontifici, Principes & Barones Alamannie Clerici & laici, debitam in Christo reverentiam & sinceritatem obsequij. Cùm placuisset ei qui auferit spiritum Principum, & magnus & terribilis est super Reges terræ, Dominum Henricum Imperatorem de medio auferre, necessarium nobis visum fuit de substituendo Rege tractatum & colloquium habere. Convenimus ergo sæpius, & miserias & oppressiones quas hæcenus sustinueramus recententes, per universos Principes regni animos nostros ereximus, & quid honori Ecclesiæ Dei & paci ac quieti subjectorum potissimum expediret deliberantes, nunc unum nunc alium quasi finaliter eligere putabamus. Verùm quia non est prudentia, non est potentia, non est consilium nisi per Deum, placuit ei qui Abrahæ filium immolare volenti victimam providit, & David fratribus juniores de postulantibus accepit, atque Matthiam ex discipulorum numero ad sortem apostolatus elegit, serenissimum Dominum nostrum Ottonem quondam Henrici Ducis Saxonie filium ad regimen Romani imperij de terra peregrinationis suæ ex inopinato offerre in bis. Invocata itaque sancti spiritus gratia prædictum Dominum Ottonem, Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Advocatum & defensorem fidelissimum, & judicariæ potestatis observatorem justissimum, de longa & antiqua Regum profapia ex utraque linea spectabiliter editum, ad Romani regni fastigium justè ac rationabiliter elegimus, & sicut debuimus, ipsius electioni consentimus, ipsumque in Augustorum sede à Karolo magno apud Aquigranum huic dignitati deputata locavimus, & corona & regni diademata per manum Domini Adolphi Coloniensis Archiepiscopi ea qua decuit solemnitate feliciter decoravimus. Nos autem Principes, qui jam dictum Dominum Ottonem in Regem elegimus, feoda nostra quæ ab imperio tenemus à manu ipsius recipientes, hominum sibi fecimus & fidelitatem juravimus. Tantæ igitur dignitatis munus excellentissimus Princeps divinx potius gratiæ quam suis meritis ascribens, primitias hujus honoris offerens Domino, propria voluntate juramento firmavit in primis sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, deinde omnium Ecclesiarum jura bona fide servare ac manuteneat, & subjectos imperij exheredatos maximè & à suis possessionibus violentè ejectos in sua justitia pro posse juvare & conservare. Pravam insuper illam consuetudinem quam Imperatores antecessores sui in occupandis rebus mobilibus vel sese moventibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huc usque servaverant penitus extirpans, nos ecclesiasticos Principes ab hac indebita vexatione regali benevolentia liberos dimisit, & decedentium bona suis successoribus servanda liberaliter statuit. Paternitati ergo vestræ dignum supplicare duximus quatenus fidem & devotionem Domini nostri Regis attendentes, merita quoque illustrissimi patris sui Henrici Ducis Saxonie, qui ab obsequio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ nunquam recessit, memoriter tenentes, paci & quieti vestræ & nostræ intuitu Dei ac nostri obsequij providentes, ipsius electionem & consecrationem auctoritate vestra confirmare & imperiali coronationi annuere paterna pietate dignemini. Sanctitatem insuper vestram obnixè rogamus quatenus Principes ac Barones à tam rationabili electione discordantes ecclesiastica censura ad concordiam revocetis, & ab illius fidelitate partis adversæ clave Petri resolutos ad præstandam Domino nostro Regi fidelitatem & subjectionem auctoritate vestra compellatis. Ut autem à Domino Rege nostro jura Romanæ Ecclesiæ, ut prædictum est, integra & illibata serventur, nos in bona fide spondemus, & pro domino Rege nostro fidejubemus.

† Ego Adolphus Coloniensis Archiepiscopus elegi & subscripsi. † Ego Gerardus Indensis Abbas elegi & subscripsi. † Ego Heribertus Verdenensis Abbas elegi & subscripsi. Ego Henricus Dux Lotharingiæ, qui & Brabantie, Marchio Romani Imperij, elegi & subscripsi. Ego Henricus Comes de Kuko consecutus & subscripsi. † Ego Bernhardus Paderburenensis Episcopus elegi & subscripsi. † Ego Thietmarus Mindenensis Episcopus elegi, & consecrationi cooperatus fui. † Ego Vvridikindus Corbeienensis Abbas elegi & subscripsi.

